

Utrum falsitati veritas opposita sit in re ad extra vel formaliter in anima. Quod sit in re ad extra, probatur: Illud quod communicatur a Deo omnibus rebus creatis esse in re extra formaliter, et non solum in anima, sed veritas est huius, igitur. Maior de se nota, sed patet minor per Philosophum, 2 Methaphisice textu commenti 4, dicentem quod primum principium est causa omnibus entitatis et vertiatis et habent se omnia ad eternitatem sicut se habent ad veritatem. (54vb)

Ad oppositum, scilicet quod sit in intellectu, apparet per Philosophum 6 Methaphisice, textu commenti 8, dicentem quod verum et falsum sunt in anima sicut malum et bonum in re extra, sed bonum est in re extra quia bonitas rei est in re et non in intellectu intelligente rem. Igitur et verum erit intellectu et non in re, igitur et veritas.

Respondeo. Pro solutione quaestionis pono conclusiones. Prima conclusio est quod omnis falsitati veritas opposita consistit in formali ratione unica, sic intelligendo conclusionem, quod omnia quecunque dicuntur vera non diversis sed solum unica ratione dicuntur vera que ratio unica est rem habere illud quod secundum suam naturam debet habere. Probatur tripliciter. Primo sic: omnia que sunt unum dicuntur unum ratione unica, igitur omnia que sunt vera dicuntur vera ratione unica. Patet consequentia, quia cum verum et unum sint equaliter de numero transcendentium et illorum que cum entre convertuntur 4 Methaphisice, textu commenti 3. Sicut igitur videtur esse ratio unius per respectum ad omnia que dicuntur unum, sic ratio veri ad omnia que dicuntur vera. Sed antecedens apparet. Quia unum in omni re cui attribuitur habet atribui secundum unam rationem, scilicet per rationem indivisionis, quod patet inducendo per singula. Continuum enim dicitur unum, quia indivisum in quantitate.

Individuum dicitur unum quia unum in numero indivisum. Genus dicitur unum quia indivisum in conceptu. Similiter et species, et sic de omnibus aliis que participant unitatem. Constat enim quod in quantum indivisionem participant in tamen unitatem habent. Igitur et eodem modo et verum dicitur in omnibus secundum unam aliquam rationem participatam in eis.

Secundo sic: illa est formalis ratio veritatis cuius participatione omne verum dicitur verum, sed talis ratio formalis est unica. Igitur maior apparet, quia illa dicitur ratio formalis alicuius per cuius participationem omne tale dicitur tale. Ratio namque albedinis consistit in disgregare, quia huiusmodi participatione omne album dicitur album. Sed minor patet discurrendo per singula quod unica formali ratione participata et in existente quicquid est verum dicitur verum que ratio est habere illud quod res secundum propriam naturam debet habere unde lapis dicitur falsus vel aurum falsum quia naturam auri vel lapidis non attingit et per oppositum res quem attingit naturam auri dicitur aurum verum similiter de lapide, similiter quia natura orationis et finis eius consistit in significando. Illa dicitur vera oratio quem significat quod debet, et falsa que significat aliter quam debet. Similiter de conceptu, similiter de intellectu cuius natura consistit in attingendo res. Si attingit rem sicut debet dicitur verus, si aliter dicitur falsus, igitur apparet quod omnia vera secundum unam rationem que existit in eis dicuntur vera.

Tertio sic arguitur: quia Anselmus in libro De veritate inquirens veritatem in oratione, in actione, in voluntate, in intellectu, in sensu, in essentiis eorum, in Deo et in omnibus, reperit rationem unicam veritatis que non est aliud quam rectitudo illius rei vel esse rem secundum illud quod debet. Sed hoc non esset nisi omnia vera dicerentur secundum participationem unius rationis in qua consistat veritas, igitur sequitur quod veritas consistit in ratione unica.

Contra conclusionem arguitur tripliciter. Primo sic: ratio entis in omni re non est unica, igitur nec ratio veri. Consequentia patet, quia ens et verum convertuntur. Sed patet antecedens, quia ens non predicatur una ratione de omnibus, cum non sit univocum.

Secundo sic: ratio boni in omne re non est unica, igitur nec ratio veri. Patet consequentia eodem modo quo probata fuit consequentia primi argumenti ad conclusionem. Sed antecedens patet per Philosophum 1 Ethicorum, capitulo 7, dicentem quod bonum non habet unam ideam aut unam rationem pro eo quod reperitur in decem predicamentis.

Tertio sic: ratio sanitatis in animali et in urina non est unica igitur nec ratio veri in omnibus est unica. Patet antecedens, quia secundum unam rationem sanitas dicitur de sanitate significata, que est in animali et secundum aliam de sanitate que est in urina solum tanquam in signo, et patet consequentia, quia sicut sanitas est in animali tanquam in receptivo et in urina tanquam in signo, sic veritas solum est in propositione tanquam in signo et in intellectu tanquam in receptivo, igitur non unica ratione propositio dicitur vera et intellectus dicitur verus.

Respondeo ad primum dico quod ens accipitur multipliciter. Uno modo pro ratione qua aliquid dicitur ens. Alio modo pro suppositis quibus illa ratio applicatur. Primo modo dico quod ens dicitur unam rationem in omnibus. Secundo modo dicitur diversas secundum quod diversa sunt supposita quibus applicatur, in quibus tamen non variatur ratio veri, sicut nec rotunditas circuli variatur ex hoc quod applicatur ad diversas materias et eodem modo dico de vero. Sed contra: si hoc sit verum sequitur quod ens predicatur univoce de omnibus, quia predicabitur uno nomine et una ratione quod solum competit univocis.

Respondeo quod ratio accipitur dupliciter. Uno modo pro completa rei definitione, et sic ens non dicitur de omnibus una ratione cum nec definitionem possit habere, et talis ratio competit univocis. Alio modo dicitur ratio formalis conditio rei qua res dicitur talis et isto modo ens unum verum et bonum una ratione omnibus insunt, quia una ratione vel conditione omnia entia dicuntur entia et una conditione omnia bona dicuntur bona, sic et una conditione, ut dictum est, omnia vera dicuntur vera.

Ad secundum dico eodem modo sicut ad primum. Ad tertium quando dicitur quod verum est solum in oratione, ut in signo, sed in intellectu ut in receptivo. Dico quod hoc concessio adhuc habetur propositum, scilicet quod eadem ratione oratio dicitur verum signum sicut intellectus verum receptivum, nam natura orationis est esse signum et ideo dum est tale signum quale esse debet dicitur esse vera similiter de intellectu receptivo. Ad similitudinem de sanitate in urina et in animali, dico quod non est simile, quia verum est unum de transcendentibus quorum ratio competit formaliter omni enti. Non autem tale est sanitas.

Secunda conclusio est quod falsitati veritas opposita non est formaliter entitas respectiva, sic intelligendo conclusionem quod veritas non dicitur esse formaliter aliqua conformitas vel aliquis respectus. Probat tripliciter. Primo sic veritas est equalis ambitus cum ente, igitur non est formaliter entitas respectiva. Patet consequentia, quia oppositum consequentis infert oppositum antecedentis. Sequitur enim quid est formaliter entitas relativa, igitur non convenit omni enti, igitur non est equalis ambitus cum ente. Antecedens patet 4 Methaphisice et per Anselmum in libro De veritate ubi ostendit veritatem esse in omni ente. Ostendit enim ibi quod veritas est in enuntiatione, capitulo 2, et in opinione capitulo 3, et in voluntate, capitulo 4, et in actione, capitulo 5, et in sensibus, capitulo 6, et in essentiis rerum, capitulo 7, et in Deo, capitulo 8, et finaliter concludit quod una est veritas, scilicet ratio veritatis in omnibus veris, ex quibus verbis sequitur quod est equalis ambitus cum ente.

Secundo sic: veritas est quid subsistens, igitur non est de genere relativorum. Patet consequentia per Commentatorem 7 Methaphisice, commento 49, ubi dicit quod subsistentia non sunt de genere relativorum, sed patet antecedens, (55va) quia Deus est veritas subsistens, ut dicit Hilarius, 6 De trinitate, etiam quolibet res habens naturam quam secundum se habere debet est veritas, ut patet ex prima conclusione.

Tertio sic in illo non consistit ratio veritatis quo non concepto nec considerato iudicatur de aliquo an sit verum vel falsum, sed de omni re iudicatur an sit vera vel falsa, non propter respectum vel conformitatem ad aliquid aliud, sed ex hoc solum quod attingit idemptifice suam naturam propriam, igitur veritatis formalitas non consistit in aliquo respectu ant conformitate.

Ex ista conclusione sequuntur aliqua correlaria. Primum correlarium quod veritas rei non est conformitas eiusdem ad intellectum divinum. Quod manifeste sequitur ex conclusione. Et probatur sic primum correlarium, quia penes illum intellectum non sumitur ratio veritatis in rebus quo non considerato adhuc potest veritas circa res apprehendi. Sed non considerato aliquo ordine rei ad intellectum divinum, adhuc veritas circa res apprehendi potest, igitur. minor patet. Argentarius enim, dum iudicat argentum esse verum vel falsum, vel de aliquo lapide, an sit preciosus vel vitrum. Vel de auro, aut sit verum vel falsum non statim recurrit ad ideas que sunt in mente divina, immo forte nec novit, nec credit eas, aliter omnis iudicans veritatem alicuius rei esset theologus.

Secundum correlarium quod sequitur est quod veritas non est conformitas actus intellectus ad rem extra. Patet ex conclusione, quia omnis conformitas est respectus quidam.

Contra conclusionem et correlaria arguitur tripliciter. Primo sic contra conclusionem: omnis similitudo et adequatio est ens relativum. Sed veritas est similitudo et adequatio, igitur. Maior patet, sed minor quoad primam partem patet per Augustinum in libro De vera religione dicentem quod veritas est summa similitudo primi principii. Quoad secundum patet per Isaac, in libro De diffinitionibus, et per Boetium dicentes quod veritas est adequatio rei et intellectus. Et prima dictarum diffinitionum est contra primum correlarium, et secunda contra secundum.

Secundo sic: si formalis ratio veritatis non sit aliquis respectus, igitur nullus respectus erit versus vel veritas. Consequens falsum, quia tunc veritas non esset equalis ambitus cum ente. Et patet consequentia, quia ex opposito consequentis infertur oppositum antecedentis.

Tertio sic: illud dicitur ratio formalis veritatis quo solo res dicitur vera et quo solo remoto res dicitur falsa. Sed conformitas est huiusmodi, et conformitas est quidam respectus, igitur. Minor patet, quia omnis res conformis intellectui divino dicitur vera, et omnis non conformis dicitur falsa.

Respondeo, ad primum dico quod sicut ens capitur dupliciter, Uno modo pro ente in communi, alio modo pro ente aliquo determinato sic et veritas. Et licet omne ens determinatum sit substantia vel accidens, sit absolutum vel respectum, tamen ens transcendens non est aliquod istorum precise. Sic dico de veritate, conclusio autem posita est de veritate in communi et non de veritate in particulari. Dico igitur ad argumentum quod ille diffinitiones veritatis ibidem aducte sunt de veritatibus particularibus. Unde illa diffinitio prima 'veritas est similitudo primi principii' datur de actibus cognitis qui preter universalem rationem veritatis sunt in spirituali quedam Dei similitudines, ipsique actus cognitivi preter universalem rationem veritatis dicunt quendam ordinem ad objecta, etiam de ipsis datur illa diffinitio. quod veritas est 'adequatio rei et

intellectus' et tamen omnes rationes iste veritatis particularis adhuc continentur sub universali ratione veritatis, ut patet intuiti.

Ad secundum dico eodem modo, scilicet quod hic accipitur veritas in universali prout est transcendens sicut et ens.

Ad tertium, dico quod conformitas rerum ad intellectum divinum non est principalis et universalis ratio veritatis in rebus, sed illud a quo sumitur talis conformitas, quia enim res vera est, ideo conformis est, et non quia conformis ideo vera, sicut datur exemplum posito quod Socrates sit albus, tunc si Plato est simile Socrati oportet quod sit albus, et si non est similis, non erit albus, et sic posita similitudine ponitur albedo in Platone, et remota removetur albedo. Non tamen sequitur ex hoc quod similitudo Platonis ad Socratem sit causa albedinis Platonis, sed magis econverso, scilicet quod albedo Platonis sit ratio similitudinis. Sic dico in proposito quod veritas rei est ratio conformitatis ipsius ad intellectum divinum et non econverso.

Tertia conclusio est quod falsitati veritas opposita idem est quod rei natura propria. Sic intelligo conclusionem, quod veritas rei idem est quod rei natura, et entitas.

Probat tripliciter. Primo sic: illud est rei veritas quo res formaliter denominatur vera. Sed a natura rei propria res formaliter dicitur vera, igitur. Maior patet, sicut enim illud dicitur (56ra) formaliter albedo quo res formaliter dicitur alba sic in proposito. Sed minor probatur, quia quanto magis res attingit naturam propriam sibi debitam tanto verior dicitur. Sicut aurum dicitur verius quod magis attingit naturam auri et propositio verior que magis attingit naturam propositionis et sic de singulis.

Secundo sic: illud est formalis veritas rei quod res magis vel minus attingens dicitur magis vel minus vera. Sed rei propria natura est huius, igitur. Maior patet, quia sicut illud dicitur formalis rei bonitas quod res magis participans vel attingens dicitur magis bona, sic in proposito. Sed minor apparet, quia quanto res magis depuratur ab omni extraneo privativo et positivo, tanto magis attingit naturam propriam, et ex hoc magis vera dicitur. Patet, quoniam iudicatur unus lapis alio verior quia magis depuratus a contrariis accidentibus, etiam si sint duo lapide pretiosi absque omni contrario antecedente. Dicitur enim quod unus est verior alio ex hoc quod privatur minus gradu sibi debito secundum naturam suam.

Tertio patet conclusio per Augustinum 1 Soliloquiorum, dicentem quod verum est illud quod est ex qua diffinitione sequitur quod veritas rei est natura rei.

Ex ista conclusione sequuntur aliqua correlaria. Primum quod res quanto magis attingit naturam propriam tanto verior dicitur.

Secundum, quod rei veritas est idem quod rei entitas.

Tertium, quod respondet ad quesitum, est quod rei veritas est ubi est rei entitas ideo veritas rei extra animam est extra animam et veritas rei in anima large accipiendo rem est in anima.

Contra conclusionem et eius correlaria arguitur tripliciter. Primo sic, contra conclusionem: si conclusio sit vera sequitur quod omnis entitas sit veritas, sed consequens est falsum, igitur. patet consequentia, Quia omnis entitas constituitur in propria specie et omne existens in specie attingit aliquam naturam speciei. Sed falsitas consequentis patet, quia visio falsa est aliqua entitas et non est vera visio; similiter locutio falsa est aliqua entitas et non est aliquo modo veritas. Similiter patet de auro falso.

Secundo sic, contra primum correlarium: si correlarium esset verum, sequeretur quod aliqua creatura posset esse in summo vera, et per consequens summa veritas. Consequens

falsum, quia tunc posset esse veritas per (56rb) essentiam quod soli Deo convenit. Et patet consequentia, quia si res, quanto attingit naturam propriam, tanto verior dicitur. Igitur illa que in summo attingit naturam propriam in summo dicitur vera et per consequens verissima. Sed aliqua res in summo potest attingere naturam propriam, sicut patet de qualibet forma substantiali, que non suscipit magis et minus, quod quelibet individualis forma in summo attingit naturam propriam, quia perfectius ipsam non potest attingere cum non suscipiat magis et minus.

Tertio sic, contra secundum correlarium: rei magnitudo non est idem quod rei entitas, igitur nec rei veritas est idem quod rei entitas. Antecedens patet, quia magnitudo est accidens rei cuius est magnitudo. Et consequentia patet per Augustinum 6 De trinitate, capitulo 2, dicit quod idem est magnitudo quod veritas, et quod illud quod maius est verius est, igitur.

Contra tertium correlarium est secundum principale argumentum factum in oppositum questionis.

Respondeo: ad primum, concedo antecedens, consequentiam et consequens.

Ad probationem falsitatis consequentis dico quod locutio vel visio et similia possunt accipi dupliciter: uno modo inquantum visiones vel locutiones sunt. Alio modo, inquantum sunt similitudines, expressive sunt. Dico igitur quod locutio, licet falsum exprimat, est tamen vera locutio quantum ad naturam locutionis, inquantum vere participat naturam locutionis. Sed inquantum similitudo expressiva est, dicitur falsa et non vera. Similiter dico de visione et de intellectione. Ista solutio habetur quod dictus Anselmi in libro De veritate capitulo 2 dicentis quod in oratione et in omnibus significativis accipitur duplex veritas. Una ut sunt, alia ut significationes sunt.

Ad secundum dico quod aliquid potest dici in summo verum, vel summa veritas dupliciter. Uno modo quia sine omni falsitate verum, vel sine omni falsitate veritas. Et isto modo dico quod ista propositio 'Deus est iustus' est summe vera, nec est inconveniens.

Alio modo, quia perfectissimum verum sive perfectissima veritas. Et isto modo solus Deus dicitur veritas in summo. Dico igitur quod argumentum bene concludit quod creatura potest dici in summo vera primo modo, sed non secundo. Posito enim quod unus asinus perfectissime attingat naturam suam, etiam quod unus homo perfectissime attingat naturam suam. Dico quod quodlibet istorum est summum verum primo modo (56va) sed non secundo, quia quanto natura hominis perfectior tanto homo erit verum perfectum et sic quanto natura deitatis est perfectior qualibet creatura tanto est verum perfectius.

Ad tertium dico quod in creaturis magnitudo et veritas non sunt idem nisi in magnitudine, sed bene in divinis idem est magnitudo Dei et natura Dei. Augustinus autem ibidem loquitur de magnitudine Dei et non de magnitudine creaturarum.

Ad argumentum primum in oppositum concedo quod veritas est in omnis creaturis, tam in anima quam extra animam.

Ad secundum, in oppositum dico quod Philosophus loquitur de veritate particulari, et non universali, ut dictum est in solutione primi argumenti contra secundam conclusionem etc.